

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum
Theoretico-Practica**

Mencke, Lüder

Lipsiae, MDCCXXXV

VD18 11839880

Tit. XXVII. De Mandato.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18253

TIT. XXVII.

De Mandato.

Divisio a fine.

Ex Cajo l. 2. mand. **M**andatum contrahitur quinque modis: five sua tantum gratia aliquis tibi mandet, five sua & tua, five aliena tantum, five sua & aliena, five tua & aliena. At si tua tantum gratia tibi mandatum fit, supervacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter vos actio nascitur.

Si mandantis gratia mandetur.

Ex d. l. 2. mand. 1. Mandantis autem gratia intervenit mandatum: veluti si quis tibi mandet, ut negotia ejus gereres, vel ut fundum ei emereres, vel ut pro eo sponderes.

Si mandantis, & mandatarii.

Ex d. l. 2. mand. 2. Tua gratia & mandantis: velut, si mandet tibi, ut pecuniam sub ufuris crederes ei, qui in rem ipsius mutuaretur; aut, si volente te agere cum eo ex fidejussoria causa, mandet tibi, ut cum eo agas periculo mandantis: vel, ut ipsius periculo stipuleris ab eo, quem tibi deleget in id, quod tibi debuerat.

Si aliena.

Ex d. l. 2. mand. 3. Aliena autem tantum causa intervenit mandatum: veluti si tibi aliquis mandet, ut Titii negotia gereres, vel ut Titio fundum emereres, vel ut pro Titio sponderes.

Si mandantis, & aliena.

Ex d. l. 2. mand. 4. Sua & aliena: veluti si de communibus suis & Titii negotiis gerendis tibi mandet, vel ut sibi & Titio fundum emereres, vel ut pro eo & Titio sponderes.

Si mandatarii, & aliena.

Ex d. l. 2. mand. 5. Tua & aliena: veluti, si tibi mandet, ut Titio

tio sub usuris crederes: quia, si sine usuris pecuniam crederes, aliena tantum gratia intercedit mandatum.

Si mandatarii.

6. Tua tantum gratia intervenit mandatum: vel- *Ex d. l. 2.*
uti, si tibi mandet, ut pecunias tuas in emptiones *mand.*
potius prædiorum colloques, quam fœneres; vel
ex diverso, ut pecunias tuas fœneres potius, quam
in emptiones prædiorum colloques. Cujus generis
mandatum, magis *consilium*, quam mandatum est,
& *ob id non est obligatorium.* Quia nemo ex consilio
mandati obligatur, etiamsi non expediat ei, cui da-
bitur: cum liberum cuique sit, apud se explorare,
an sibi expediat consilium. Itaque si otiosam pecuniam
domi te habentem hortatus fuerit aliquis, ut rem aliquam
emeres, vel eam crederes: quamvis non expediat eam tibi
emisse, vel credidisse, non tamen tibi mandati tenetur.
Et adeo hæc ita sunt, ut quæsitum sit, an mandati teneatur,
qui mandavit tibi, ut pecuniam Titio fœnerares. Sed obtinuit
Sabini sententia, obligatorium esse in hoc casu mandatum:
quia non aliter Titio credidisses, quam si tibi mandatum
esset.

De mandato contra bonos mores.

7. Illud quoque mandatum non est obligatorium. *Ex Ulp. l.*
quod contra bonos mores est: veluti, si Titius de *6. §. 3. man-*
furto, aut de damno faciendo, aut de injuria facien- *dat.*
da mandet tibi. Licet enim pœnam istius facti nomine
præstiteris, non tamen ullam habes adversus Titium actionem.

De executione mandati.

8. Is, qui exequitur mandatum, *non debet exce-* *Ex Paulo*
dere fines mandati: ut ecce, si quis usque ad centum *l. 5. mand.*
aureos mandaverit tibi, ut fundum emeris, vel, ut
pro Titio sponderes, neque pluris emere debes,
neque in ampliorem pecuniam fidejubere: alio-
quin

Ex l. 4.
mand.

quin non habebis cum eo mandati actionem. Adeo quidem, ut Sabino & Cassio placuerit, etiam si usque ad centum aureos cum eo agere volueris, inutiliter te acturum. Sed diversæ scholæ auctores recte usque ad centum aureos te acturum existimant: quæ sententia sane benignior est. Quod si minoris emeris, habebis scilicet cum eo mandati actionem: quoniam, qui mandat, ut sibi centum aureorum fundus emeretur, is utique mandasse intelligitur, ut minoris, si possit, emeretur.

*Quibus modis mandatum solvatur. 1. Dere-
vocatione.*

Ex l. 12. §.
16. mand.

9. Recte quoque mandatum contractum, si, dum adhuc integra res sit, *revocatum* fuerit, evanescit.

2. De morte.

10. Item, si adhuc integro mandato, *mors* alterutrius interveniat, id est, vel ejus, qui mandaverit, vel illius, qui mandatum susceperit, solvitur mandatum. Sed utilitatis causa receptum est, si eo mortuo, qui tibi mandaverat, tu ignorans eum decessisse, executus fueris mandatum, posse te agere mandati actione: alioquin justa & probabilis ignorantia tibi damnum adferet. Et huic simile est, quod placuit, si debitores manumisso dispensatore Titii per ignorantiam liberto solverint, liberari eos: cum alioquin stricta juris ratione non possent liberari, quia alii solvissent, quam cui solvere debuerint.

3. De renunciatione.

Ex l. 22. §.
ult. §. l. 27.
§. 2. mand. 11. Mandatum non suscipere, cuilibet liberum est: susceptum autem consummandum est, aut quam primum *renunciandum*, ut per semetipsum, aut per alium, eandem rem mandator exequatur. Nam, nisi ita renunciatur, ut integra causa mandatori reservetur eandem rem explicandi, nihilominus

minus mandati actio locum habet: nisi iusta causa intercesserit, aut non renunciandi, aut intempestive renunciandi.

De die & conditione.

12. Mandatum & in diem differri, & sub conditio- *Ex L. 1. §. 3.*
ne fieri potest. *ff. mand.*

De mercede.

13. In summa sciendum est, mandatum, *nisi gratuitum sit*, in aliam formam negotii cadere. Nam mercede constituta, incipit locatio & conductio esse. Et ut generaliter dicamus, quibus casibus sine mercede suscepto officio, mandati sive depositi contrahitur negotium: iis casibus interveniente mercede locatio & conductio intelligitur contrahi. Et ideo, si fulloni polienda curandave quis dederit vestimenta, aut sarcinatori sarcienda, nulla mercede constituta, neque promissa; mandati competit actio.

I.

Mandatum *Bollmacht* est contractus consensualis de *negotio futuro*, & *honesto gratis* expediendo. §. 7. §. f. *J. b.* Mandatum dividitur ratione (1) causæ efficientis in *expressum*, quod expressa, & *tacitum*, quod tacita voluntate constituitur. *a. l. 18. ff. b. (a) l. 61. §. 2. ff. b.* (2) ratione objecti in *universale*, quod ad universa, & *particulare* quod ad certum negotium, vel *certa* negotia pertinet. *l. 6. §. 6. ff. b.* (3) ratione finis in *id quod contrahitur* (1) *mandantis* s. *sua tantum gratia*. *PR. §. 1. J. b. (2) man-*

Pr. §. 1.
I. h.

(a) *Qui patitur id fieri, quod prohibere potest ac debet, nisi velit pro consentiente haberi, mandare videtur.*
a. l. 18. ff. b. l. 6. §. 2. ff. b.

dantis

- §. 2. I. h. *dantis* & *mandatarii* s. tua & sua gratia §. II. *J. b.*
- §. 3. I. h. (3) *Tertii* s. aliena tantum *causa*. §. III. *J. b.*
 Quamvis enim mandantis ab initio non interfit,
 mandatum tamen per se subsistit *d. §.* & Actio-
 nem producit, cum ex hoc facto mandantis in-
 teresse coeperit. *a. l. 8. §. 4. ff. b.* (4) *mandantis*
- §. 4. I. h. *Tertii* s. sua & aliena gratia. §. IV. *J. b.* (5) *man-*
- §. 5. I. h. *datarii* & *tertii*, s. tua & aliena gratia. §. V. *J. b.*
 (6) *Mandatarii* s. tua tantum *gratia*. Et hoc
 quidem potius est *consilium* quam mandatum.
- §. 6. I. h. §. VI. *J. b.* Dicitur autem *consilium*, quo quis
in re dubia, quid sibi videatur, exponit, *citra in-*
entionem eum, cui *consulitur*, ad obsequen-
 dum, aut se ad indemnitatem praestandam *obli-*
gandi. *d. §.* Hujusmodi *consilium* aequae ac com-
 mendatio generalis *haud obstringit*. *d. §. l. 12. §. 12.*
ff. b. (b) j. l. f. C. quod cum eo, qui in al. Obligat
 vero *consilium* dolosum *L. 47. ff. d. R. J. (c)* item
 cum enixa persuasione conjunctum. *a. d. §. VI.*
J. b. l. 12. §. 13. ff. b. Dec. El. 42.

III. *Mandatum versatur circa negotia futura*

- §. 7. I. h. *T honesta*. §. VII. *J. b.* itaque mandatum rei *illi-*
cita nullum est, siue ea illicita sit *civiliter*, *l. 123. ff.*
d. R. J. e. g. cum in *Sax. El.* Juramenti judicialis
 praestatio mandata est, siquidem id in propria
 persona praecise praestandum venit. *O. P. S. t. 18.*

(b) *Ex commendatione* & *consilio generali* nulla nasci-
 tur obligatio. §. 6. *J. b. l. 12. ff. b.*

(c) *Consilii non fraudulentum* nulla est obligatio, cete-
 rum, si *dolus* & *calliditas* intercessit, de dolo actio
 competit. *l. 47. ff. d. R. J.*

§. f.

§. f. five naturaliter d. §. (d) l. 15. ff. d. cond. Inst. nihilominus hoc casu Mandans & mandatarius. v. g. injuriæ læso ex delicto obligatur. L. 11. §. 3. ff. d. injur. (e)

IV. Mandatum producit *actionem mandati directam & contrariam*. Directa est civilis personalis, rei persecutoria b. f. §. 28. J. d. Act. competens mandanti & hæredibus adversus mandatarium & hæredes ad *mandatum exequendum*. l. 22. §. 11. ff. b. Damnumque dolo aut quavis culpa illatum resarciendum. l. 13. j. l. 21. C. b. uti pron. F. J. L. M. Aug. A. 700. Quod si mandatarius excefferit fines mandati, Quatenus eos excessit, nullam, ne quidem negotiorum gestorum, actionem habet, §. VIII. J. b. l. 5. ff. j. l. §. 8. I. h. 31. §. 4. ff. d. neg. gest. l. 40. ff. b. illos autem non creditur excessisse, qui id fecit, quod mandatum esse intelligitur, veluti cum 100. emere jussus minoris emit. §. VIII. J. b. *Actio mandati contraria* est Civilis, personalis, rei persecutoria b. f. competens *mandatario* ejusque hæredibus adversus *mandantem* ejusque hæredes, *ad indemnitatem* intuitu mandati consequendam. l. 12. §. 6. l. 15. ff. b.

V. *Mandatum interit* (1) *mandantis revocatione*, (hujus enim tantum utilitas versatur in mandato. a. l. 12. C. d. pact.) *re integra* suscepta,

(d) *Mandatum non est obligatorium, quod contra bonos mores est*. §. 7. J. b.

(e) *Mandans & mandatarius delicti læso ex delicto obligantur*. l. 11. §. 3. ff. d. injur.

- §. IX. *J. b.* unde datum procuratori judiciali mandatum, litis contestatione cum ipso facta, ne quidem consentiente procuratore, absque iusta causa revocari potest, si adversa pars contradicat. *l. 17. l. 19. C. d. proc.* Pariter mandatario est præstanda indemnitas, cui revocatio mandati re non integra nocet. *l. 15. ff. b.* Quod si debitor tacitam revocationem mandati iuste ignoraverit. e. g. manumissionem dispensatoris (servi scilicet pecuniis domini exigendis & administrandis præpositi) eique solverit, solutio caparit liberationem. §. X. *J. b. l. 18. l. 34. §. 3. ff. d. solut. (2) morte mandantis* : nam velle definit. *a. l. 4. ff. loc. (f) & mandatarii*, cujus electa est industria, *re integra*. §. X. *J. b.* dummodo mandatarius mandantis mortem non ignoraverit. *d. §.* Quando res desit esse integra tam mandantis hæredes mandatario ad indemnitatem, quam mandatarii hæredes mandanti ad inchoata & connexa perficienda, obstringuntur. *a. l. 27. §. 3. ff. b. j. l. 37. §. 1. ff. d. administr. & peric. tut. (3) Renunciatione mandatarii*, quia nihil utilitatis ex mandato capit, *vel tempestiva*, §. II. *I. h. §. XI. J. b.* ut per semet ipsum, aut per alium mandator eandem rem exequi possit. §. XI. *J. b.* nam intempestive renunciantem ad id, quod interest, actione mandati convenire licet. *l. 27. §. 2. ff. b. vel iusta. ex causa* e. g. ob adversam valetudinem *suscepta d. §. XI. l. 1. 23. l. 24. ff. b.* imo etiam is, qui urgente causa renunciationem præ-
- (*f*) *Mortuus velle desit. l. 4. ff. locat.*

terminis

termisit, indemnitate præstare haud tenetur.
d. §. XI. l. 27. §. 2. ff. b.

VI. *Mandatum recipit* (1) *diem item conditionem*, sub qua differatur. §. XII. *J. b.* (2) *honorarium. l. 6. ff. b. i. e. operæ beneficii loco præstitæ remunerationem. l. 1. §. 1. ff. si mens. fals. mod. dix. quamvis sit gratuitum. L. 1. §. 4. ff. b. (g) §. XIII. J. b.* non mercedem, qua interveniente §. 13. *I. h.* transit in locationem conductionem §. XIII. *J. b.* Interim honorarium tum demum debetur, quando promissum est. *d. l. 6. l. 17. C. b.* nisi quod *hodie* etiam non promissum procuratoribus judicialibus & advocatis solvendum est.

TIT. XXIIIX.

De Obligationibus, quæ Quasi ex Contractu nascuntur.

Continuatio.

POST genera contractuum enumerata dispiciamus etiam de iis obligationibus, quæ quidem non proprie nasci ex contractu intelliguntur: sed tamen, quia non ex maleficio substantiam capiunt, quasi ex contractu nasci videntur.

De negotiorum gestione.

I. Igitur, cum quis negotia absentis gesserit, utro citroque inter eos nascuntur actiones, quæ appellantur negotiorum gestorum. Sed domino quidem rei gestæ adversus eum, qui gessit, directa competit actio: negotiorum autem gestori, contraria. Quas ex nullo contractu proprie nasci manifestum est: quippe ita nascuntur istæ actiones, si sine man-

Ex Cajo l. 5. de oblig. & act.

(g) *Mandatum, nisi gratuitum, nullum est. l. 1. §. 4. ff. b.*

D d 2

dato